Świstowski Remigii: Homagium augustissimae ac Sacratissimae Coeli et Terrae Impera-trici Polonorum Reginae Clementissimae in Claro-monte Częstochoviensi miraculis clarissimae.

HOMAGIUM
AUGUSTISSIMÆ
AC

JNVICTISSIMÆ CÆLI & TERRÆ

JMPERATRICI

POLONIARUM REGINÆ CLEMENTISSIMÆ

Jn Claro-Monte Częstochoviensi Miraculis Clarissimæ.

A

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, DOMINO

CLEMENTE XI.
PONTIFICE MAXIMO

RECENS CORONATÆ.

A

Fratribus Ord: S. PAULI Primi Eremitæ Ejusdem Clari-Montis Częstochoviensis.

JPSO INAUGURATIONIS SOLENNI DIE

Nomine Universorum Ordinum Regni & M. D. Lit: humiliter Præstitum.

Oratore Patre Fratre REMIGIO SCISŁOWSKI, Ejusdem Instituti Theologiæ Moralis Professore.

Anno Regnantis in Carne DEI 1717. Die 8. Septembris.

Typis Clati-Montis Częstochoviensis.

JN GENTILITIUM STEMMA, *EXCELLENTISSIMI CORONATORIS.*



Ad Clarum celeres Montem properate Capellæ
Innocuis Virgo, paſcua Sacra dabit.
Aris & Patriæ ROSEAS cito ferte Coronas
Queis Veſtra æthereus tempora cinget Honos.

AD EXCELLENTISSIMUM
Jllustrissimum & Reverendissimum Dominum,
D. CHRISTOPHORUM
COMITEM de SŁVPOW
S Z E M B E K
EPISCOPUM CHEŁMENSEM,
GENERALEM PRÆPOSITVM MIECHOVIENSEM CORONATOREM DIGNISSIMVM.
Prophasis Dedicatoria.

N*Ovum hodie Orbi Lechico triumphantis Gloriæ pandisti exordium* Præsul Excellentissime, *dum Claro Montanæ Thaumaturgæ Matris Aræ, primas extra Alpium terminos, è Vaticano Sacrario, Coronas intulisti. Cælestis Reipubl: Primatiali Dignitate functus es, dum Cælorum Imperatricem Augustam, Regali inaugurasti Diademate. Abest quod invideas Primis Regnorum Principibus, terrenas inaugurantibus Maiestates, præsens etenim gloriosior auspicatissimo Nomini Tuo obtigit Provincia Parcite Magni Regum Coronatores; quo sublimior Coronatæ Maiestatis Eminentia, eo Maior est Coronantis Excellentia. Et quis est qui ambigat, Immaculatissimam DeiParentem non sublunaris tantummodo Machinæ vastitati, at immensis supernorum Orbium, ipsiusq; Empyrei dominari Regnis; hinc tam Præcelsæ Maiestatis gloriosissima Inauguratio, Tuæ Coronator Excellentissime, mensura est Dignitatis. Primi, Angelici Exercitûs Antesignani Ministerio, Encænia hæc peragi debuissent, nisi Te parem tanto muneri superi reperissent. Supra mortalium sortes, in Cælesti Consistorio Excellentiæ Tuæ Antistes Illustrissime cum Nomine decreti Honores. CHRISTOPHORVS es, CHRISTVM in animæ cordisq; medullis gestans, quid mirum, si CHRISTOPHORÆ Matris egisti Coronatorem. Corelatio non mutuata, at mutua, qua nulla proximior, nulla sanctior, inter CHRISTVM & MARIAM. In Cælorum Reginam, Sanctissimam Genitricem suam Coronavit CHRISTVS, iure merito in Reginam Poloniarum Coronavit CHRISTOPHORVS. Notate æternitatis Codices Cognatorum Nominum rerumq; mysteria. Et sane decuit Sacratissimum Augustæ Nostræ verticem, præter Regale Diadema, Tuis quoq; Gentilitijs* PRÆSVL Illustrissime ROSIS *Coronari. Mystica Sanctissimæ Triadis Ro-*

dis Rosa est Parthenia Genitrix, fas erat, mysteriosa Tuarum Triade Rosarum, Auspicatissimam Eius Inaugurationem cumulari. Spinis implexæ sunt, quas Cyprium olim Cythereæ vulgus dicabat Deæ, nec nisi à cruentatæ vulnere plantæ, purpureum traxere colorem; at Tuæ Antistes Reverendissime, aculeos non norunt Centifoliæ, purpuratam Venustatem & Maiestatem, non aliunde, quàm à Domestico Magnorum Heroum Sanguine & Ducali vendicant Murice. Non molles profectò Campaniæ horti, biferiq; rosaria Pæsti Tuas genuere Rosas; ab Elisiis Regnis sub primam auroram duxisse originem, cognatæ superis virtutum demonstrant proprietates. Exiguo florent intervallo quas tellus profert, ut primùm adultæ plenitudinis amœnam explicant faciem, illico ad casum vergunt, orbataq; comis triste fiunt hortorum cadaver breves vernantis auræ deliciæ. Tuis Coronator Excellentissime Rosis Divinus vigor inest; immortales sunt, à virtute namq; mori nescia sicuti prima Ortûs sui auspicantur incunabula, ita pariter, vitæ, decoris & fragrantiæ desumunt perennitatem. Tot iam elapsa coronarunt sæcula, Imperijs regnisq; coævæ, immortalis ubiq; gloriæ Orbem implevere, in posthumas mundi ætates duraturæ. Sanctæ sunt, Sacris dignæ Aris Claro-Montano proinde, ad triumphalia hodie serta competunt Sanctuario. Ornatissimos avitæ stirpis Roseæq; Domus Tuæ Coronator meritissime Progenitores, quos Heroa Virtus Fortuna Comite ad primas semper Togatæ Patriæ Curules, primosq; armatæ Palladis promovit Fasces, digni enumerent Encomiastæ, ac in recensendis etiamnum præclarissimis decoribus desudent ingenia annalium implendo tomos: Sanctissimæ vero Reginali Maiestati à Te hodie Coronatæ, præ reliquis Inclytæ Prosapiæ Tuæ Prærogativis Sanctitatis Domestica Virtus, Maximo est pretio, cælitum mille præconijs digna æstimari. Magnum quidem, inter purpuratas cunas claro de sangvine nasci, gloriosum est illustres Avorum Ceras, sexcentos Fabios, & Decios, & stantes in Curribus Æmilianos, ipsosq; Ioves affinitate propinquos, velut in Pantheone, prima Orbis Nomina & Numina supputare, at multo maius est veræ Sanctitatis Gloriâ eminere; Claritas illa, nequaquam ex populari eximit mortalium sorte, at vitæ Sanctitas, in æternitatis Patria, Cæli efficit purpuratos. Terrenæ dignitates, temporale, & exiguum virtutum præmium sunt, ipsum licet splendore suo attingant solis meridiem, Hesperum tamen evitare nequeunt; è contra, Sanctitatem vitæ altioris longe Ordinis merces, cum immortali gloria, Divini consors splendoris hæreditas, æternum comitatur. Ecquis non noverit Inclytam Domum Tuam Antistes Excellentissime, Domum & progeniem Sanctorum esse Si pientissimos Maiorum Tuorum Manes, quibus Beata iam obtigit retributio, è tumbis provocatos spectare non libet, in vobismet ipsis Comites Illustrissimi, hæreditariæ Sanctitatis, sat ampla elucet successio. Primus è nunc viventibus prodit

in Obtu-

in Obtutum Sacratissimæ Reginalis Maiestatis Celsissimus & Reverendissimus Princeps STANISLAVS *Comes in Słupow* SZEMBEK, *Archiepiscopus Gneznensis, Legatus Natus Regni Poloniarum, & M. D. Lit:* PRIMAS *Dignissimus, Nomine & vita alter Divinissimus* STANISLAVS, *Virtutum & Sanctitatis Metropolis. Principum Decus, Præsulum Gemma, Senatûs Columen, Protector Noster Clementissimus, Cuius in tuendis Ecclesiasticæ indemnitatis iuribus ferventissimum zelum, in manu tenenda Patriæ libertatis pupilla, invictum robur, in salvanda Reipublicæ integritate indefessos labores ac studia, tot fatales temporum Crises, velut ad Lydium lapidem sat probáta reddidere. Decumanis intricatam casibus, tot bellorum quassatam malis restituit Rempublicam, non cunctando, at provida gubernatione suaviter fortiterq; disponens universa, vitam qua nil carius, & opes in publicæ salutis pretium erogando, non desistit Magni olim Aaronis exemplo, cor, ora, manusq; levare in excelsum, donec placato Numine, sævi turbines sedarentur. prosperiores quippe suppetiæ à suffragijs Iustorum, quam à mille phalangibus hastatorum. Illustrissimi & Reverendissimi Domini* MICHAELIS SZEMBEK, *Episcopi Paphensis, Suffraganei Cracoviensis, gloriosissima merita solertissimam animarum curam, pietatem, Clementiam & velut in unum congesta Apostolica munera, Purpurata enarret Cathedra, Grata Poloniarum Veneretur Metropolis, quam Gentilitijs* Rosis Suis, *& fæcundissimis Virtutum floribus adornavit, ac novam reddidit Florentiam; veræ Sanctitatis exemplar, Honorum opumq; Contemptor, Cælo ditissimus, alter Cælestinus. Succedit in Ordine Magnorum Heroum, Excellentissimus & Illustrissimus Dominus* IOANNES SZEMBEK, *Supremus Regni Cancellarius, Patriarum legum Custos vigilantissimus, Status Minister, sapientiâ & consilio, astrorum motricibus par intelligentijs, Decus Senatus, Orbis Lechici Atlas fortissimus, Regibus Regnisq; gratissimus, quia* IOANNES *nunquam sine gratia; at cælis gratior, quibus vel hoc ipsum Oblectationi summæ est, Aulam incolere, nec tamen Aulæ vitia nosse; ardua publicorum negotiorum farragine in momenta distrahi, à Divinis tamen Officijs minime desistere; rariorem Phænice Sanctitatem sæcula mirentur; magnum etenim prodigium est, Magni Honoris cum vera pietate Connubium. Dum ad Excellentiam Vestram Coronator Illustrissime, redeundum est, etsi cunctorum ora pennæq; tacerent, Magnalia Præsulearum Virtutum Tuarum sat grandis pondera vocis habent; rectefactorum enim gloria per se vocalis est, alienæ minime indiga laudis, exile reputans honoris suffragium ex fama populari. Divinissimos Borromeum, & Salesium, quos corde foves, factis imitaris; Pastoralis zeli Tui, Providæ super comisso Grege vigilantiæ, sedulæ Ecclesiarum solicitudinis, tùm Cathedra Chełmensis, tùm Sacerrima Synodus Diæcesana, & universæ testes sunt Poloniarum*

 Provin-

Provinciæ. Consummatissimam Sapientiam Tuam primæ in Europa probarunt Vniversitates, mirabatur Sorbona, Cui si hactenus adfuisses novellæ semina luctæ in herba oppressisses. Vive Præsulum dignissime, Ecclesiæ Columen, Senatum Romæ aucturus Purpuratum. Tantorum Procerum & Magnorum Nomina Fratrum, Coronat Illustrissimus Dominus ALEXANDER SZEMBEK *Supremus Regni Dapifer, Biecensis ac Radomscensis Capitaneus, Naturæ & fortunæ donis nemini postremus. In flore ætatis Maturitate virtutum, Magnitudine animi, Consummatâ sapientia, primis in Republ: aptandus fascibus, Inclytæ Domus Iubar, Polorum & populorum delicium, piæ liberalitatis & Munificentiæ Idæa, vitæ integritate, svavi morum innocentiâ, formâ decoris & modestiâ, Angelus nuncupandus, Reginali Sacratissimæ Imperatricis Mensæ inter Cælitum Ministeria dignus afferre Dapes. Triumphet perenniter in Regum Civiumq; amoribus, Macedone fortunatior Heros. Excellentissimus Illustrissimus & Reverendissimus Dominus* CHRISTOPHORVS SZEMBEK, *Antistes Posnaniensis supra Hispaniarum Grandes Consilio & sapientiæ Oraculis grandis in Rep: Senator, Orthodoxæ Religionis acerrimus Propugnator & Defensor, contra vitiorum monstra ac infidelium turmas novus Phinees, præsentis vires laudesq; pagellæ superat, Cujus Laudatissimas Virtutes Roma probavit, Vienna declaravit, grata Patria meritissimis Honoribus cumulare, Oratores panegiricorum voluminibus enarrare non desistent. Illustrissimi Domini Castellani Vislicensis Magni in Rep: utraq; Pallade Civis, Illustrissimi & Reverendissimi Canonici Cracovien: succrescentis ad Tiaras Prælati, Illustrissimorum Dominorum Tribuni Oświecim: Burgravij Cracovien: Capitanei Lelovienſis, Pincernæ Lublinensis, Capitanei Novogroden: Venatoris Łęczycensis, Ensiferi Smolenscensis, tum deniq; Amplissimæ Stirpis* Roseæ *Sacra Velamina & Asceteria exornantis dignissima Nomina si fæcundior recensuisset penna; aut si Colligatarum Prosapiarũ Celsissimæ Domus Gloriam, vel pauxillũ attigisset, exiguam prophasis atomum in tomũ gigantescere necessum foret; sufficiat hic & nunc profunda veneratione complecti simul & profiteri, Vniversam Inclyti* Szembekiani *Nominis Genesim. Sanctorum esse* Rosarium *ex eoq; sexcenta pro gloriosa hodie Inauguratione afferri serta, quibus Gentilitiæ Tuæ Coronator Excellentissime adornatæ Capellæ, Regiam Partheniæ Matris Capellã, triumphali venustant apparatu. Quapropter sicuti Homagium præsens Augustissimæ Reginæ Nostræ, Te Coronatore, Te Primario Duce & fortunatissimo præstamus Auspice, ita pariter exiles honoris & Obsequij tabulas, ad Aram Tui Nominis Præsul Excellentissime supplici dicamus cultu.*

Excellentissimæ, Illustrissimæ & Reverendissimæ Dominationis Vestræ, Domini & Patroni Colendissimi

Devinctissimus & subiectissimus Conventus Clari-Montis Częstochoviensis.

ORATIO.

ANte sæcula Electam, Augustissimam Cælorum Imperatricem, semper triumphantem, novo in terris, Regij honoris triumpho inauguratam, spectatis hodie, Auditores Ornatissimi. Reboant more tonantis Olympi, bellicorum grandisona tormentorum ora, respondetque applausibus per circuitum, vocalis in nemoribus echo; resplendent æmuli siderum, festivi in turribus ignes; elaboratæ ingenio, micantes per aëra flammæ, cælis stuporem ingerunt, terris quoque sua non deesse phænomena, ac prodigiosas meteororum nasci species! cingunt undequaque sacratas Ædes, mille pensiles lychni & lumina mille, quæ fulgore suo, Cimmerias etiam illustrant umbras, ut totum MARIANUM Augustal, stellatum recte crediderim cælum intueri. Conchyliatis ubivis peristromatis ostroque nitentes, tripudiant parietes! Novo-Dædaleis ornatæ & oneratæ machinis tument areæ! Vniversa Castalidum Domus Helicone relicto, satis agmine denso, alternos metata choros, lætis tubarum tibiarumque clangoribus, nubes replet, nec solas hominum svavi modulamine, mentes excitat, verum duras etiam cautes, vitali permovet sensu, ut ipsa mænia, amæno vultu, veriùs quàm ad Orphei testudinem, gaudia gestire videantur. Vicini colles & saxa levantur in altum attonita, Claro-Montanam rupem, totam erumpere in voces & vices exultantium! Conterminæ mirantur Provinciæ, rediviva ne, Roma vetus, in Monte-Claro, vel veró, Mons Clarus in Romano triumphet Capitolio! Et quorsum amabo, tanta epinicia & gloriæ apparatus? nisi ut festæ faustæque Coronationis Augustæ Poloniarum Reginæ, dicando sacra diei, pompam indicent

dicent triumphalem. Pridem quippe orbis Lechicus, Parthe-niam Matrem, Reginam ac Dominam, ore publico nominavit, nec non pacta conventa, ipsammet Augustissimam inter, perpetuæ Protectionis Ejus, & Ordines Regni, perennis subjectionis, æviterni cultus, & subditalis obsequij, stabili per sæcula firmavit Diplomate, hodie tandem optato successu, ut Coronatæ jam Reginali Majestati, jurejurando, intaminatæ fidelitatis, solenne præstat homagium. Expectare libuit, tot jam elapsis sæculis, ut Regina Clementiæ, non nisi à Clemente Regalem sumeret Cydarim, atque illibata Summi ac Æterni Mater Pontificis, non nisi à summo in terris Pontifice, Regiæ unctionis acciperet honorem. Stellati Montes Clementini Nominis & Ominis insignia, cælo augure prævidebantur, à quibus stella summæ magnitudinis, cæterorum Regina siderum, in Claro-Monte, eminentiori claritate refulgens, Sarmatici Poli inaugurаretur Coronâ. Dudum hisce præconceptis populorum imo Divorum votis, en jam hodie Clementina respondit pietas, dum Augustissimæ Poloniarum Electæ, novo, extra Italiæ terminos exemplo, in Claro-Montana Gloriæ Metropoli coronandæ, Regium submisit Diadema. Huc terrenæ Majestates, domitrices & Dominatrices Provinciarum, submissa reponite sceptra, huc universi Nationum Principes, coronata capita, cunctique sub sole Regnantes, ad Altissimum MARIÆ, Dominæ universi Thronum, cor afferte animumque pronum, & summæ Reginæ gloriæ, Lechico in Regno hodie Coronatæ, tributarij honoris supplex date homagium. Sacro Apocaliptici seniores, huic Reginæ Regum, quam totum Empyreum adorat Imperium, procidui vestras comportate coronas. Regnet MARIA, Domina universi, mille semper digna coronis; triumphet hodie tota Lechia in Monte-Claro, triumphet Mons-Clarus in MARIA. Huc Rhodij colossi, obelisci, Memphiticæ pyramides, superba olim Phariorum monumenta Regum, obliteratâ tyrannorum memoriâ, ante sacrarium Reginæ Clementiæ prostrata, vectigalem date gloriam. Montes excelsi terræ, Alpæi, Acroceraunij, Pyrænei, Caucasi, Libani, Atlantes, & quotquot in latepatenti sinu, præalta numerat cacumina tellus, huc tumida, nubibusque minantia colla, Colli submittite MARIANO. Regalis, ac sacer ab inhabitante olim Arcâ fœderis, Mons Sion, Monti Claro, in quo vivens Thaumaturga veri Numinis Arca, perpetui incolatûs sui posuit tabernaculum, pronum inclinet verticem. Mons Sinai, Mosaicæ olim, dictator legis, MARIA-

NVM

NVM hodie Montem Gratiæ, supplex adoret; illic etenim plena pavoris tonitrua, fumans caligo, coruscantia fulmina, terrentes nebulæ, mortem Israeliticis castris minabantur, in hoc Monte clementiæ, flumina vitæ, torrentes veniæ & indulgentiarum, copioso promanant sinu, ac serena populis gratiarum affulget meridies. Montes itidem sancti, Thabor, Oliveti, cæterique, sacro famosi codice, sacratiori Monti-Claro, in quo tot sæculis orbi universo, innumeris & quotidianis prodigijs, Divinæ resplendent virtutes, laudis date trophæum, ac submissa veneratione, ite hodie in scabellum. Verum, quid vilis Orator, humi, cum domiporta testudine reptas, quid per exiles exiliens terræ suggestus, haud proportionatam triumphanti Dominæ gestis gloriam! si magnos magna decent, certe Præpotentissimæ Majestati, magnæ Poloniarum Reginæ, longe majora debentur; ad subli-miora erige animum, cælum ipsum in Triumphum voca, Imperatrici suæ, in Sarmatico cælo hodie coronatæ, prompta obsecundabunt Astra, superi dabunt voces, & sonoros deproment æthera plausus; signatas æternæ fœdere pacis nubium irides, in arcus pone triumphales; pro Regali Paludamento, solem vultu sereno fulgentem præpara; pro scabello Throni Augustissimi, sphæram adhibe lunarem; pro Regali tentorio ipsum adapta firmamentum; tum demum Clementinam stellis ornatam, pretiosissimo insuper illo abscisso de Monte sine manibus, profanas Tyrannorum statuas comminuente lapillo, summè decoratam, assume coronam, ac Sacratissimæ Augustæ nostræ Regium cinge caput. Sic Regijs ornata monilibus, procede prospere ad Sacrarium Regni Tui, ac præparatum in vertice montium scande Thronum, Regnatrix Poloniarum Clementissima. Currum triumphi Tui, non truces Marci Antonij leones, non feroces Heliogabali tygrydes, non jugales Aureliani cervi, non prægrandes Metellorum ac Iuliorum elephanti, quibus olim suo fastu gravis victorum fortuna, ad orbis & Vrbis vehebatur capitolium, nec igneæ Phaëtontis trahent quadrigæ, at nubem luce candidissimam, pones ascensum Tuum Imperatrix gloriosissima, & sic cum splendidissimo apparatu, mille Angelorum in coronam stipata agminibus, innumero cælestis militiæ comitata exercitu, Claro-Montanam inaugurationis Tuæ ascende Metropolim, eamque in hæreditatem, jure posside æternali. At, ne quid ad solennem diei magnificentiam triumphantis Reginæ, desiderari videatur, devicti inferorum principes, jurati humani generis hostes, sæva draconum capita, quæ pridem heroo

heroo Parthenia Mater contrivit calle, debellatæ tenebrarum potestates, captivæ rebellium tyrannorum turmæ, perpetuis oneratæ compedibus, invictæ Reginali Majestati, ite hodie in triumphum. Pandite jam ostia, festivis coronata lauris, reserate triumphales portas Pauliadæ, vigiles Mariani propugnaculi custodes, date agmen, aptate choros Thæbei proceres, ac ordine compto, exite obviam ascendenti ad thronum Reginæ gloriæ. Ter centis jam & amplius annis, in hoc thaumaturgo castro, vigilantius, quam olim aureum in Colchide vellus, pretiosissimum pignus, Regale depositum, Augustissimæ Poloniarum Electæ, obsequiosa colitis fidelitate, hodie Eandem novo coronatam Diademate, adorate procidui, & cum supplici homagio, ferte claves, pro firmiori clientalis officij sponsione. Triarij bellatores, expansa labara, victrices Aqvilas, cunctaque Bellonæ insignia, ad Reginalis scabellum Majestatis inclinate, cum auspicatissima militari tessera: *Regnet MARIA Lechici orbis Domina, triumphet Regnatrix semper Augusta.* Et ut vivaciori animo exultantes, solenne præstemus homagium, amænæ applaudant Camænæ, jucundas dent litui voces, impulsaque tympana palmis, concavaque æra sonent. Vos Auditores spectatissimi, benevolas interim parate aures, mentesque peroranti.

Musica interludit.

REges plerumque natura parturit, & purpuratæ cunæ, primum est Majestatis proscenium; licet non raro, cæco etiam fortunæ suffragio & casu elevatos, orbis adoravit. Haud unus interdum patratæ cædis,& flagitij in præmium Diadema tulit, imo raro purpuræ Regum, absque protuso alieno sangvine rubuêre. O quoties, dum effrenes in scelera tyranni ad thronum aspirant, misera Regna populique exspirant. Ad Imperium quæri, meritorum est privilegium; quærere, ambitionis argumentum, & grandis origo mali, ut, dum à corrivalibus lenta moderatione obtineri nequit, ad quæque violenta, sæva regnandi impellat cupiditas. At quæsiti per nefas Imperij fasces, raro felices ac diuturni, funesti mox, ipsismet authoribus exitij secum trahunt catastrophe, & vix quandoque diurni. Novit etenim districta Nemesis, coronas dolo aut sangvine partas, in compedes refringere: ut quos arrogans dominandi libido cum oriente sole ad Regale evexit solium, cum occidente, versâ sed adversâ fatorum aleâ, eosdem vitâ & purpurâ exutos, diræ mortis reddat spolium,

lium, & quod mane gemmea cinxit torques, ferrea captivum torqueat vespere collum. Nec eget alio impulsore ad sui interitum, plus æquo tumens tyrannorum ambitio, ipsa quippe suæ infelicitatis, sufficiens est architecta. Aureum Regni pomum, desuper quidem venit, sed digniori dandum, indigna apprensum manu, Gomorrhæi instar mali, in cinerem mox abiturum purpuratum mendacium. In ambitiosi namque Principis sinu, cælorum beneficia, in veneficia transeunt, & ut Pandoræ munus redeunt in conferentem. Delicatum purpuræ ingenium, ingenuum est, eô gravius erubescit, quô indigniores tegit lacertos, & aurogemmeum Paludamentum, trunco adaptatum deastro, protinus pallescit, ex pænitudine, nativum sui pretium amisisse. Ipsos etiam sorte nascendi Regnantes, postquam à majorum rectefactis degenerassent, superis populisque invisos, sæpius è paterno solo, solioque exclusos, haud dubij memorant fasti. O qvot miseri Principes, qui superba nuper manu, aurea tenuêre sceptra, paulo post tristi metamorphosi, tragicæ ad ludibria sortis, prodiêre spectra. O quoties purpuratus thalamus, tumulum, Regibus cruenta sublatis nece tulit, sexcenti licet fortes ad fores excubassent. Gratis coronata capita ad corporis custodiam, numerosos instrúitis exercitus, frustra densis armatorum cohortibus latera stipatis, in propria militare fovetis viscera ferrum, diri manes intro manent, si Divinæ Patriæque minime serventur leges, legiones nihil proderunt. & ornatissima Phalanx, fallax est ad salutem Principis impij: inter mille hastatorum catervas, tyrannus haud bene tutus erit. Tutius ullum Majestatis robur & præsidium est, quam Religio, pietas, æqui & honesti ratio, ac reliquarum virtutum satellitium; securos ducit inter bellorum fragores & castrorum tentoria somnos, cui præ foribus Regiæ virtutes fidas agunt excubias. Hinc nemo est, qui vel ipso Radamantho judice neget, longe præstantissimum, virtute nancisci, quam nasci Regem. Nobilior me hercle est, cælis agnata in diademate virtus, quam claro Regum de sangvine nata, at purpuratis vitijs notata propago. Prima boni Principis laus est, virtuti omnia, fortunæ nihil debuisse. Sola virtus aurea clavis est, quæ ad conclave Regnorum, ostia novit reserare, nec ulla gloriosior, quam virtute & meritis empta potestas. Princeps sceleratus, abortivum naturæ monstrum est, fædum vitiorum mancipium coronatum, quid nisi inane & immane perversi ordinis portentum. qua namq; ratione subjectis imperabit Provincijs, si sibi nescit; prima quippe

pe regnandi rudimenta à se ipso sumenda sunt, haud bene majorem reget orbem, qui minorem in fræna cogere non didicit. Vita Principis, idæa est populorum, si difformis, graviter officit, & afficit idæatum. Regnantem solis naturam inducere, necessum est, lustrando & illustrando universa; tunc enim veré serenissimus, dum expers maculæ, beneficos lucis radios, oras diffundit in omnes; sin ab opposita nævorum opacitate eclypsim patiatur, triste fiet spectaculum, toti orbi portentosum. At quid d... solis naturam, Divinam Princeps assumat oportet, cum etenim vicariam in terris gerat potestatem, Magnique effigies DEI sit in imagine parva, Archetypo conformem in gubernando teneat normam; vitiosum ectypon, dum à primo deficit exemplari. Tunc vere Divinitatis quadam gaudet prærogativà Imperator, dum bonitatis Ejusdem, sedulus est imitator. Iudicium & æquitas, clementia, fortitudo, liberalitas, providentia, civium amor, & cura vigil in omnes, proprium Deorum & Regum negotium est. Videant qui sceptra tenent, utrum hic scopus & opus in regnando præfigatur.

Pensata tantisper conditione Regum, vertamus jam mentis & oculorum obtutus, in Augustissimam Poloniarum Reginam Dominam meam Clementissimam, vereor licet, ne scrutando Majestatem opprimar à gloria, liceat tamen in magnis & impatria verba conari, cum & hæc magnæ sit portio laudis, nunquam satis digne laudari posse; & vero, si Angelica centum ora forent, nullis encomijs, Reginalem Dignitatem Augustæ Nostræ pro merito adæquarent; sed non idcirco suæ Majestati subtrahendum hodie Laudis homagium. Non officit claritati solis, etsi lippis spectetur palpebris, sic pariter nil obstat magnitudini Reginalis Honoris Sanctissimæ Dominæ, trivialis oris professio, si ex penetralibus cordis deprompta suppleat confessio. Aude igitur pusille orator, etiam vili svadà, Magnæ Imperatricis Regias percurrere dotes, ut pronam adorationem persvadeas universis. Solis naturam Principibus induendam censuisti, en Electa ut sol, Regina Poli, orbisque Poloni, velut diploide ornata, splendidissima luce coruscat, Ipsa millies sole clarior; huic etenim quasdam, tenues licet, optici affingunt maculas, MARIA increatæ Lucis, Solis justitiæ, Genitrix immaculata, omnem prorsus, etiam atomo leviorem excludit nævum. Sol non nisi præsens sibi illustrat hæmisphærium, at ubi gyrato cursu, ad Antipodas abscesserit, totam secum devehit lucem, remotis tristi relictà umbrià terris. MARIA, æterni Solis Regia, immensitate luminis abyssos pertingit, opacissima penetrat, nulli

li unquam sua luce deest, non uni tantum orbi, sed innumeris par est illustrandis. Si Divinitatem quandam in Regibus, ipsa portendit & prætendit Majestas, MARIA, Magna Dea, aut certe Idæa Divinitatis est; Africanus Præsul, Præsulum Doctor, augusto protulit ore: (a) *Si formam DEI Te appellem, digna existis.* Ex MARIA ineffabile Numen formam hominis assumpsit, quid mirum, Eidem per reciprocationem, formam DEI communicasse. O felicissimum Numinum Commercium! o mira MARIÆ Apotheosis! Vnio Hypostatica Verbi, sicut Divinitatis in Deipara sufficiens est argumentum, ita & Regiæ Dignitatis amplissimum documentum. Sacro Virginale, MARIÆ Claustrum, cælum est, sedes Regis Altissimi, hinc & Ipsa Regina cæli Divinissima.

Regna mundi instar hominum, crescunt, & decrescunt, oriuntur & moriuntur, unius strages, alterius incrementum, ipsique Reges, licet dominentur mortalibus, nihil tamen præter virtutem, habent immortale. Magno olim Macedonum Bellatori sua victrix fortuna, tanto erat stupori, ut dijs immortalibus progenitum se credidisset, & jam cardines orbis, suo subjectos Imperio arbitratus, dictitasset: *Ortus & occasus, Aquilo mihi servit & Auster.* at brevi, communi hominum sorte, morticinum agens, totaque Græcia cum oriente subacta, Regnorum facta cadaver, funesto exitu, mortalitatem didicêre. Regnum MARIÆ, in sanctis firmatum montibus, vere immortale est, casum & occasum non metuit, ab æterno ordinata sæculorum Regnatrix, universum orbem sublunarem, imo lunam ipsam cum reliquis astrorum sphæris, calcaneo Majestatis suæ subjectis, perenni gubernat potestate, absque termino; Illum etenim, qui solus terminum & finem non novit, sacratissimo utero suo terminavit. O amplitudo Regni Augustæ Imperatricis nostræ! terræ marisque superans vastitatem, utpote, quæ magnitudine potestatis suæ universum replet, nec imaginarium superest spatium, quo amplius dilataret.

Vidit non pridem Europæus orbis Principes, Filios Regum, eosdemque GenitoresRegum, ipsos neutiquamReges. (b) MARIA Domina, æterni Regis sæculorum unica Filia, Altissimi Regis sola & vera Genitrix, Sanctissimi itidem Regis unica electa Sponsa, hinc & ipsa Regina Adoro supplex, ineffabilem tantæ Majestatis Adoream. Numera jam Munera MARIÆ, Reginæ Sacratissimæ, quisquis voles, si poteris, at stellas potius in firmamento millies

(a) *serm: de Nativitate.* (b) *Daufinus Gall: Ludov: XIV. filius.*

millies multiplicatas, numerabis. Si Sanctitatem spectes, vereare, ne meridiani solis nimio fulgore, oculorum offendas aciem; prius sancta, quam concepta, ter sancta in perpetuum, cui sanctitas infinita, plene sese infundens, totam donavit sanctitatem. Vniversi generis humani Massa, in Protoplastis, originali inquinata labe, communis prævaricationis, & contractæ maledictionis, hactenus sua damna luget, MARIA sola ab hac immunis culpa, absque fomite peccati, Maternitatis exempta privilegio, æterna gaudet sanctitate, Angelis purior, innocens, segregata à peccatoribus, crystallo clarior nitidissimâ, creaturas supergressa universas, absque exemplo, infinitæ placuit Majestati; quæ sola, nisi sancta fuisset, lapsa natura humana, sanctificationis & gratiæ exordium nequaquam meruisset. Date o beata supernorum civium agmina Reginæ vestræ, Sanctæ Sanctorum, Gloriam & Honorem.

A tam sublimi innocentiæ statu Dominæ nostræ Sanctissimæ, facilis extat ad gradum & statum gratiæ apodixis. Innocentia etenim, prodroma gratiæ, antesignana, & individua comes semper est. Primi Paradisi incolæ, in statu innocentiæ longe præstantioribus pollebant gratijs, quam fructuosissimis delicijs Paradisus ipse, Sanctissima Domina nostra, fæcundior longe gratiarum Paradisus est, cujus pretiosissimus Fructus, supremum totius Empyrei delicium & cibus vitæ immortalis. In MARIA quo sublimior innocentia, eo major donorum eminentia. Primogenita Gratiæ, prima & summa omnium Gratiana est MARIA, cui par nulla secunda. Ad flabellum damno fabellam antiquitatis, Pandoram quondam omnium deorum, exigua in pixide continuisse dona; at fidei Sacramento certum, cælestis Paranymphi probatum oraculo, Sacratissimam Reginam nostram, adeo omni repletam gratiâ, ut in collatis sibi donis, Omnipotentia exviscerari, infinita Sapientia exhauriri, liberalitas & immensi Divinarum thesauri divitiarum, erogari videantur. Metire minores lympharum lacus, scaturigines, & quâ datâ lance flumina libra, in unum colligas licet, suam non adæquabunt Amphitriten; longe magis Electorum Charismata distributa per omnes (parcite quæso Elisij manes, veniâ vestrâ dicam) & si in unum colligas magnum mare, Marianus vastior Oceanus, majori gratiarum superat abundantiâ. Venite arescentes præsiti, ad hanc Maris immensitatem, pro mensura dilectionis, copiosam accepturi gratiam; enim vero

Plurima quantumvis profundat munera Virgo
Plura tenet, vastum est, sola MARIA mare.

Inter

Inter præstantissima Regum attributa, tanquam firmissimæ stabiliendi Imperij bases, velut binæ axes polares, aut geminæ gemmæ, Sapientia & Fortitudo; hæc ad devincendos Patriæ hostes, scutum & murus aheneus est, illa arcanorum status & regendæ Reipublicæ clavim clavumque tenet. Sapientiâ & fortitudine, magni Principes, quotquot sunt, Regnorum cardines, suamque gloriam & potentiam, firmarunt, auxerunt, dilatarunt. Illæ coronæ amantur, & galeæ formidantur, quæ in capite sapientiâ gravido fundantur. Grande in solio idolum est, magna potentia, sine magna sapientia. Ignorantia Regum, perditio est populorum. Pretiosum, paucisque datum munus est sapientia. Hinc ille sapientissimus Regum, sapientum Rex, ad judicandam & gubernandam electi populi multitudinem, velut inæstimabilem, ipsoque majorem Regno, dotem, cor docile exoravit. Dum ad Divinissimæ Reginæ nostræ sapientiam, facienda est apostrophe, mens fugit extorris, & stupor ora ligat. Magnam enim abyssum mirari, non scrutari, magis libet. Euripum, miratus Stagyrita, flexuosos ac in se retortos non capiens undarum vortices; & qua ratione, Increatæ, Matris, Sapientiæ, inscrutabilem pertingam abyssum! somniet fabulosa vetustas, literariam Palladem è Iovis cerebro natam prodijsse; verius nuncupandum, Augustissimam Palladem, Reginam nostram, ex ore Altissimi, sapientiæ sumpsisse exordia; Altissimum enim Magistrum infinitæ Sapientiæ & inscrutabilis cognoscivitatis, Verbum Patris æternum, ab elevatis per lumen gloriæ mentibus, incomprehensibile, MARIA Divo Parthenij uteri cancellis sola comprehendit. Grandem certe Iliadem exigua clausit nuce, magni Magistri Discipula, dixissem supra Magistrum, verùm audacioris hyperpoles Vaticanam vereor censuram. O mira sapientiæ & scientiæ DEI Epitome MARIA. Dum architecta universi Omnipotentia, cælorum cardines & fundamenta, velut circino dimensionis præpararet, dum majora appendisset luminaria, matutina astra, Phosporum Hesperumque formaret, dum certa lege & gyro vallaret abyssos, terminos & repagula ponens æquoribus, dum æthera, terræque molem, velut grandi quadam statera, pugillo libraret, verbo, dum mundus, informis embrio totus erat, cum Formatrice universi Sapientia, in omnipotenti Patris Idæa, prævisa, & ante sæcula ordinata, aderat jam æterni Verbi Mater, Primogenita creaturarum, nascituro infanti mundo, disponens incunabula. Theosophorum dogma est, ignorantiam, in pœnam transgressæ innocentiæ primorum Parentum, humano supervenisse generi; fructus ille vetitus de ligno scientiæ boni & mali, curiose prægustatus, amplissimum supernaturalis scientiæ in Pro-

to Parente extinxit lumen, & cæcam in successores mentis induxit caliginem, ut desipientes, velut damnatæ ad tenebras noctuæ, ignota palpemus, & cum terræfodis talpis, ea solum, quæ cum humo viluêre, rimemur & miremur. Innocentissima Sapientiæ Mater & Regina, sicut Adamiticæ culpæ & pænæ minime complex, ita nullius ignorantiæ subdita legibus, excellentiùs supra universas intelligentias, omnis scientiæ Sanctorum gaudet privilegio. Ter felicissima Regna, quibus tam eminentis sapientiæ dominatur Imperatrix. At videamus jam invictam Augustæ nostræ fortitudinem.

Prisca gentilitas fortes virtute Heroes, pro Dijs quandoque venerata; hinc infantem Herculem, dum Iunonios angues, tenellâ compressos suffocasset manu, ex tunc pusillum in fascijs nuncupavit Deastrum, quantò magis, dum Lernæa monstra, tyrannos, Centauros, Gigantesque domuisset. Invictissima Virago, Regina nostra clementissima, primo, felicissimæ sine originali nævo, Conceptionis suæ diluculo, veteris colubri, calcaneo suo insidiantis, dirum attrivit caput, virulentissima septicipitis draconis, sacratum masculi partum (ut devorasset) expectantis, colla prostravit, stygiumque monstrum, Victrix gloriosa conculcavit. Tota mortalium natura, æternam sub immanissimo Orci tyranno captivitatem luxisset, nisi hæc Bellatrix fortissima, immaculato ortu suo, ad orbis salutem illuxisset: nunc beatiori sorte, ipsimet tenebrarum Principes, perpetuis vincti compedibus, sua damna gemunt, Virgineis se prostratos armis corruisse. Triumphet per sæcula, sacratior Amazon bellicosissima, arcus fortium confregit, vicit Holophernem Divinior Iudith, Sisaram & castra hostium superavit, verior Debbora. Exulta novis Lechia gaudijs, invictæ fortitudinis Heroam, ad Thronum Regni tibi adscivisse. Confitere dulcis Patria, Christianitatis antemurale, Regnorum pupilla, quam persæpe optata furentum præda, invidæ vicinorum Principũ ambitionis meta, & cruentorum amphitheatrum præliorum extitisti, ut tota, velut ruentis à culmine Trojæ, Europa, tua spectasset fata; at MARIANÆ fortitudinis semper adjuta suppetijs, rabidam hostium orexim, victoriosis armis domuisti. Recense funestas interregnorum vices, & tot corrivales in electorali campo, ad Diadema Regni stadiodromos, hinc scissa Electoris populi partiumque studia, bellorum fomenta & extrema salutis publicæ discrimina, ut planè constatet: *quoties Reges moriuntur, toties Regna lethaliter decumbunt.* Nihilominus tot tantosque turbinum motus intus & ad extra, Invictissimæ Reginæ nostræ sedavit dextra, & dicatæ sibi Gentis, hactenus illæsam servavit libertatem. Extat etiamnum in Claro-Montano Cimeliarcho, aureum pij Lechiadæ anathema: Gentilitia Regni Aqui-

la, cum Sanctissima DEI Parente, adjectâ Epigraphe: *Libera sum precibus Virgo Beata tuis.* Gratis hactenus dilecta Patria, tristi eventu, ab externis subsidia quæsijsti Potentijs, Gloriosissimam Superum Imperatricem, Reginam tuam invictissimam, in auxilium voca, & hostium catervas superasti. Cum hac Electa hodie jam coronata, lege perenni, offensivum & defensivum pone fædus, feliciori & faciliori successu, tua Sceptra reges, nec minaces inferorum metues potestates. Lætos age triumphos, Claro-Montana Domus, tantæ Bellatricis munita Præsidio, truces ne formides Enceladorum facies, dum Acies castrorum ordinatissima, stat adversus inferi portas, & tua mœnia complet. Probasti invictam Gloriosissimæ Propugnatricis tuæ virtutem, contra mille olim Milleri assultus, & palmarem valido ex hoste victoriam reportasti. (*a*) Sæviebat hic sacrilegus Mulciber, elapso sæculo, in Augustum Partheniæ Matris Castrum, diras armavit Erebi furias, universam inferorum instruxit Cyclopædiam, infestis acatholicorum agminibus, validisque in coronam cinxerat aggeribus, MARIANVM hortum conclusum, mox diram succendit Vulcaniam, flammivomas tormentorum admovit machinas, totamque Eumenidum vim impendit; (*b*) hinc densis pyrobolorum, more nubifragij pluens imbribus, illinc candente, innocua proscindens mœnia, glande, noctuque diuque, præconceptos seram protrahens in brumam furoris ignes, impius Theomachus, sudavit & alsit, quibus technis ac robore Virgineum expugnasset cælum; at stetit immobilis, laureati Montis Clari, Marpesia cautes; vidit impavido vultu, & bruta Steropis Brontisque fulmina risit. Chalybem allisit silici Aqvilonaris prædo, ignem excitavit, sibimet nociturum; pyram incendit, fumum non famam ipsis pyrotechnis parituram, Claro-Montano Gynæceo tædas triumphales, quibus orbi reddatur illustrius. Novus Herostratus, fore voluisset Borealis incendiarius, ni Perilli vices subijsset. Sacratior enim Bellona, ex Claro Montano Capitolio, dum in capita hostium, telorum retorsit ictus, & pila minantia pilis, illico Mars Gothicus, exiguus Achilles, graviter sua vulnera sensit, & pro opima (cui inhiabat) præda, nil nisi stragem suorum & funera, non ad gustum Gustavo reportavit. Boanerges pro Matre Parthenia, ex Claro-Montana intonuit nube, & protinus millenæ hostium nebulæ dissipatæ, sub gelidos rediêre Triones. (*c*) Sic damno suo, cum Phrygibus, didicêre in posterum, fugientes Arctici rugientes, fortiores Thæbeo in deserto habitare leones. experti, sero licet, credidêre, fortissimi de Tribu Iuda Leonis, invictam Matrem, Montis-Clari Præsidiariam, inexpugnabilem esse Turrim, à qua mille pendent clypei, & omnis fortium armatura.

(a) *Miller Generalis Reg Svec: Gustavi obsedit Cl. Mont.* (b) *Oppugnavit multoties & diu.* (c) *In Festo S. Ioannis Evan. Sveci abiere. Anno 16—55*

Post

Post Heroam Divinioris, fortitudinem Martis, Clementiam Matris, in Sacratissima Regina nostra pauxillum attingamus. Boni etenim Principis officium, officina est clementiæ; male imperat, & odiorum amplissima meta est, qui metu solo Regna gubernat. Ad perditos Nerones damnatum illud: *oderint licet, metuant tamen*; qui timetur ab omnibus, ipse quoque timeat, necesse est. Moribus & amoribus Regnantium efficacius in venerationem Majestatis trahuntur populi. Solida stat civium in amore Majestas, plusque valet Regum in subditos clementia, quam magna quævis potentia. Clementia Regum, mamilla est Regnorum, quâ in adultam stabilis fortunæ ætatem prosperè nutriuntur. Hinc fortunatissimi Romanorum Augusti, summum honoris censum, majusque supra Diademata Nomen censuêre, Patres Patriæ, quam Imperatores appellari. Augustissima Regina nostra, verè Mater Clementiæ est, hoc elogium MARIÆ cæteras vel includit vel excellit Prærogativas; in DEO T: O: M: quidquid concipias vel mente præscindas, summum Bonum est; in MARIA itidem, quidquid pio & sagaci intellectu meditari velis, eminentiùs supra creaturas Bonum est; post infinitam namque Divinorum attributorum ad intra communicabilitatem, ad extra prima & unica est MARIA, cui Bonitas æterna, summam largita est Clementiam; quapropter hæc sola Domina, immensæ pietatis officina est, latitudine & altitudine, universas, etiam collective sumptas longe excedens bonitates, solam nisi excipias Infinitam: verum, & hanc dum orbi portare meruit, Infinitæ Misericordiæ initium dedit.

Facesse infrunita Heterodoxorum impietas, obstinata infidelium protervia, mala viperarum soboles, quæ Matris Sacratissimæ rejicis pietatem, & quam fors ignoras, blasphemare audes Majestatem. Beatorum exquire cætus, & quotquot sunt, conformi voce reponent: MARIANÆ Clementiæ sese adjutos ope, Elisia Regna possedisse. Apostatas inferorum spiritus, primos damnatæ falsitatis Coryphæos, sciscitare si audes, ad Sacratissimum Nomen MARIÆ contremiscent, & licet inviti, cogentur vera fateri, Ejus potentissima Bonitate & Clementiâ, innumeram sibi de manibus ereptam animarum prædam. Perlustra toto orthodoxo orbe, ad Thaumaturgas Deiparæ Aras, fidelium atrias, intuere, aut si malueris Lemmata sola legas, imo si tenebrosa fors cæcutit pupilla livore, manu palpa (cave tamen sacrilega) in hoc saltem Augustissimæ Poloniarum Reginæ sacrario, Romanorum Imperatorum, Regum & Principum Europæ, honorarias gemmas, pretiosa donaria, magnorum Exercitus Regni Ducum, tot domitrices hostium clavas, victores enses, & triumphantis signa Gradiui, tot splendida sacræ ornamenta Domus, pia Illustrissimarum in

Regno

Regno Familiarum anathemata, & à remotissimis Provincijs grata votorum & tabellarum pignora; percontare si lubet, cuncta hæc quid spirent? quid talia munera dicant? pandent oracula, & voçali testimonio, mutæ licet tabulæ, mira Gratiarum Matris Pientissimæ loquentur magnalia; ausculta voces, & disce, universa hæc, ob reportatas de hostibus Patriæ victorias, ob restitutam à mortuis vitam, redintegratam incolumitatem, evitatas pestilentias, redditum oculorum lumen, recuperata gressûs offi. ia, superatas infernalium potestatum machinas, ob sævientium flammarum sopita incendia, ob accepta in adversis solatia, & ob innumera Beneficentiæ thaumata, Divæ Claro-Montanæ Virgini Matri, oblata ex voto perennis gratitudinis esse monumenta.

Et licet nostrorum non indiga bonorum, Præpotentissima Orbis Domina, Gangeticas ab Indis nequaquam exposcit arenas, nec feraces è terræ visceribus auri venas, nobilioribus abunde divitijs contenta suis, cui amplissimum totius Empyrei Gazophilatium exuberantes æternùm ministrat proventus, fas tamen est, Authorem sortis, donis honorare suis, & quem hausisti fontem coronare. De plenitudine Gratiarum Clementissimæ Reginæ Nostræ, quotquot dantur, promanant beneficia, nil justius, quàm ut digna, grati animi reddantur officia: ingratitudo enim fontem gratiarum obstruit. A naturæ legibus ingratitudinem abhorrentis, exemplum esto. Æther, quoties è terra viles mutuatur vapores, toties gratas eidem rependit cum fœnore vices, dum languentem præ æstu gemmeo reficit rore, largoq; refrigerat imbre. Tellus fæcũda parens, ut Ceteris germinet fructus, illi prius sollicitì dant sua dona coloni. Neptunus, dum per subterraneos meatus, fontibus suppeditat undas, ab ijsdem, tributi instar fluminum exigit illapsus. Altissimo Conditori rerum, de Ipsiusmet donis orbi datis, supremi in recognitionem Dominij, statutæ victimæ, primitiæ nascentium, & numerosa litabatur hecatombe. Obtruncati Holophernis spolia & Conopæum, non alteri, quam Domino Exercituum, in Ierusalem, grata dicavit Iudith; Prostrati Philistæorum Gigantis arma, Hectore maior, Iessæus victor, Divinis intulit Aris. Ipsa Gentilitas, veri ignara DEI, Iovi Feretrio, manubias ex hoste detractas, litare solita. Veterana Venetiarum Respublica subditum sibi Adriaticum conciliians Mare, mittit munus in altum, rituq; solenni beneficas subarrat undas. Quid mirum, Mariæ propitio Gratiarum mari, si grati tribuant arrhas & dona clientes. Beatius ullum fœnus est, quam fœnerari Reginæ Clementiæ, quæ & exilia, in hoc exilio, appreti-

 ans

ans munera, mansuros in sæcula thesauros abunde elargitur. Triumphet æternum Imperatrix Clementissima, Remuneratrix ter Optima, nunquam satis digne recolenda. Cynocephalis exangve sit sua ossa cadaver, operiat Letheo nox atra sopore Momos, quibus obtrectare mos est, magnorum facta Deorum. Gloriosissimæ Dei Parentis Sacrosanctum à Sæculis Nomen, per quadripartiti orbis clymata, intaminatis fulget honoribus; imo dum sublunaris machinæ angusti sint ambitus, supernorum Regna civium, Augustam eius adorant Majestatem. Hæres per Filium est, & Domina universi, quis nisi beatæ exors hæreditatis, contra audentior ibit.

De tanto Pientissimæ Matris honore, electi & dilecti congaudete Sodales Mariani Regni Proceres, Filij adoptionis, Gratiæ & Gloriæ Candidati. Triumphalis hodie Reginæ Clementissimæ, in hac Claro Montana Aula Inauguratio, vestri capitis Corona, vester triumphus est, & fortunatum optatæ sortis augurium. Sortilegijs egeant dubij semperq; futuris casibus ancipites, incredulos ludat Delphicus suo ex Tripode vates; Sarmatico Regno Divinissimum MARIÆ Nomen, omnigenæ prosperitatis ter faustum omen est; Nazaræa hac Sacratissima in Mensa, immēnsa lubet tuto, verius quam ex horoscopo, divinare Gratiarum auspicia. Vmbrâ olim Cephæ, plurimorum sanati langvores, en saluriferam, quam spectatis Effigiem, Medicus Divo Lucanæ manus, adumbravit penicillus, credite Evangelistæ, felicius, quàm Hypocratis antidotū, quævis malorum pellet toxica; Spiritualium deliciarum Sanctior Abacus est, Empyrea proponens bellaria, quibus dum convivere & convivari, grati satagunt alumni, beatæ nutriuntur æternitati, cælitum futuri commensales. Haud unus fortasse lacerâ conscientiæ rate, aut minus æqva sorte, æqvoreis veluti jactatur naufragus undis; en Diva Claro Montana tutissima salutis Tabula est, hanc piâ cordis apprendat dextrâ, & illico decumani, tumultuantis Oceani, mitescent fluctus, medioq; Portus extabit Cataclysmo. Tot sublimibus Clara muneribus, vere ArchiThaumaturga Divinissimæ Matris Icon tibi, o Cara Patria, in æviternam dilectionis arram, consignata, servata, & collata. Non illam Vespasiani, cum devastata & succensa Ierosolyma, sæva attigit flamma; non Bizantina in Vrbe, vesanus Iconoclastarum furor, non barbara Getharum Belzensi in Castro rabies, non Sacrilega Demum in hoc Sacrario patrata Hussitarum crudelitas, non vehementior Gothico ab Aquilone toties insurgens, abstulit tempestas. Nefas quippe & Centomanis contra Tonantem Briaræis niti, neq; dira pessundedit unquam Erynnis

Divo-

Divorum oracula: sic & prævisæ Poloniarum sorti, ac destinatæ ad diadema Regni, nulla fatorum vis, obfuit Majestati. Adora Gubernatricem Regnorum, Providentiam, Inclyta Lechia, & de tanti dignitate pignoris, supra reliquas Coronati Orbis Provincias, tuam metire fortunam. Numanum olim Ancile, sat vile Deorum munus, è nube delapsum, adolescens tunc Roma, futuræ potentiæ suæ credidit auspicium; Majores tibi Cælorum sponde favores Polonia, dum Potentissimæ Vniversi Imperatricis MARIÆ Dei paræ, munus & manus tecum est; Hanc Reginam Protectricem tuam Clementissimam, ubi perenni homagio, illibata fide & indefessa colueris pietate, prosperiori rerum eventu, & hostibus fræna dabis, & sub tranquilla pacis olea, gloriā potentiæ tuæ, astris terminabis.

Quod dum in concinna licet, jamq; ad terminum festinans, exoptat dictio, Tua Pater Beatissime, votis exoratoris Apostolica astipuletur Benedictio. Augustam Poloniarum Dominam Sacrâ Coronâ donasti, hoc pacto Orthodoxam Regionem & Religionem, firmam hactenus in obsequio fidei, amplius solidasti. Coronariæ Inclytæ Sfortianæ Domûs ac Reverendissimi Capituli Vaticani Arrhæ, ne solis Alpium terminis arctarentur, Beatiorem Pæno olim, providisti Annibalem, Eminentissimum Principem, Dignissimum Nepotem Tuum Pater Beatissime, Strenuum militantis Ecclesiæ Heroem, Purpurati Senatûs Columen, insignem Regni Poloniarum Protectorem; per qvem, non impervia Petrarum iuga cavando, at supremâ Petrinarum virtute clavium, iter planum ad Sarmaticum Olympum reserando, Sanctissimæ Cælorum Imperatricis Honores Sacrosq; favores longe lateq; ampliasti. Quapropter tota Lechia, Mariano hodie in Monte triumphans, ad Sanctitatis Vestræ Scabellum, supplices reponit pro tanto munere grates, Clementiam in Patre, Patrem in Clemente, filiali pronoq; cultu venerando. Beneficum sidus Tuum Stellam Polarem, verius dixerim, innubem Christiani Orbis Solem, irretortâ suspicit palpebrâ, Candida Regni Nostri volucris, volucrum Princeps, Fidei hostium strenua Fulminatrix, Sanctitatis Vestræ Magni Iovis sui, fidelis armigera & ministra. utq; ad meridianæ lucis Tuæ fulgorem, quo Nobilis pasci amat pupilla, de proximo evolare qveat, in Cavernis Sanctissimorum Albanorum Montium, Gratijs & pietate plenis, æternum nidificans, perennem figit incolatum. Vive Pater Beatissime annos sæculo Coronatos, & qui Cælitibus Coronas distribuis, terrena Regum Sceptra, Vicariâ Numinis potestate, tene suppedanea. Vive, quoad victoriosis armis Othomanicam, dissipes, evellas

evellas & destruas Portam, & tunc explicato, Bizantinis in Mœnibus, Crucis Trophæo, alteram in Vaticano, in Monte-Claro alteram, ad posthumam Nominis Tui gloriam, portas eriges triūphales.

Patere Serenissime Auguste, Rex Poloniarum invictissime, Te feliciter Regnante, Augustissimam Deiparam Claro Montanam, in Lechiæ Reginam hodie Coronari. inter paradoxa desiit esse, Reges eodem in solio, duosq́, soles in Cælo morari posse, dum combinatæ sibi subordinantur Majestates, dumq; Tua sponte nuper, Thaumaturgæ Nostræ, Honorariam Coronam dono obtulisti, & hoc ipso, ut Supremam Reginam recognoscens, Tibi & subditis populis regnare fecisti, gnarus optime: Reges imperare Orbi, at ipsos quoq;, superum altiori subesse Imperio. Augustissimus olim Ottho III. ex Serenissima Saxoniarum Prosapia Romanorum Imperator, Boleslao Chrobri Regium conferens diadema, sibi Gloriam, Gentiq; Polonæ eminentiorem auxit splendorem; Pietatis Tuæ Regum Augustissime Gloria, supra Majores Major est, quam succedentia per sæcula loquetur fama superstes, Sacratissimam Cælorum Dominam, Tuis Imperantibus Sceptris, in Orbe Lechico Regio inauguratam honore, Tuáq; prodroma paulo ante Coronâ ornatam extitisse. Dignum plane stabilitæ in Regno pacis, Regiæq; Munificentiæ Tuæ mnemosynon, ex Majestate dantis ac dati, supra Ariadnæ Coronam astris importandum. Impera Regum Clementissime sorte prosperrima, de hostibus Regni armis, de Civibus amore triumpha; sic gloriose & Delphica Laurus, & Civica Corona Augusta tempora cingent, æternum in Serenissima Domo Tua permansuræ.

Excellentiæ Tuæ Antistes Illustrissime Coronator Dignissime, impensam hodie opem & operam Sacra Reginalis Maiestas Domina Nostra Clementissima, pleno favoris comitatur animo: posce quæ lubent; plurima vacantium Beneficiorum ad distributivam Iustitiam Reginæ Sacratissimæ devolutorum adest copia; in eligendis, optionis offert libertatem, in conferendis, promptam spondet liberalitatem. Cor Reginale, præclarissimarum virtutum Tuarum manu, Præsul Reverendissime totum apprendisti, dum Augustissimum verticem Sacrâ Coronâ cinxisti. primos ad conclave amoris, jam tene accessus, votaq; cordis expone tui, à Sanctissima Domina vicissim coronanda. Plura Magno Honori, & Purpurato Nomini Tuo Antistes Illustrissime, supplex dedicatoria exprimit pagella.

Celsissimis, Excellentissimis, Illustrissimis, suisq; titulis dignis-
simis

ſimis Auditoribus, & ne abſentes quidem careant, univerſis Regni Ordinibus, fidele Homagium Majeſtati Tuæ hodie præſtantibus, jube Sacratiſſima Regina Domina mea Clementiſſima, immenſa reſerare Divitiarum æraria, ex opulentiſſima Regali Gaza, munifica in omnes diſperge dona, ut Triumphalem Glorioſiſſimæ Inaugurationis Tuæ Solennitatem, Regiæq; Beneficentiæ largitatem, Imperatrix Auguſtiſſima, jugi in poſthumas ætates memoriâ, ſubditi recolant Clientes. Regio Fiſco Tuo Potentiſſima Domina, nequidquam derogatur, dum in egenos populos erogatur; quantumcunq; effuſi, integri Gratiarum Tuarum manent theſauri, cum Maieſtatici Iuris tui ſint, Cæli terræq; ambitu contentæ opes, per ſæcula minime defuturæ. Inter opima bonorum munera, ſtabilem dona pacem, Regina pacis; dira bellorum claſſica, ad Thracicos fines, ultra Helleſponti pelle oras; inſidiantes Nomini & Regno Tuo, Domina invictiſſima compeſce hoſtes; fideles Maieſtati Tuæ ſubditos, ad oſculum Sanctiſſimarum plantarum admitte, univerſorum animos æternùm Tibi vectigales, fove & guberna, quos in Homagium Reginali Maieſtati Tuæ adduxi, & D I X I.

Ad M. D. G. B. V. MARIÆ Reginæ Poloniarum Honorem.